



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

III. De Persona Meßiæ, qui erit [...] Siloh, id est, Filius virginis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

tur Messiam stante adhuc politia & ministerio Legis uenisse, ut Daniel certum annorum numerum, uidelicet 490. à reedificatis Hierosolymis usq; ad CHRISTVM ducem definit.

IIII.

DE PERSONA
Christi.

Omnes interpretes in eo conueniunt, uoce **שילח** Siloh, Messiam significari. De ratione autem appellationis cum alij aliter differant, Lutheri postremam sententiam fidei ἀνάλογον retinebimus, quam ante quadraginta annos Petrus Galatinus lib. 4. capite 4. de occultis Catholicæ ueritatis, memoriæ tradidit. Certum est uocem **שילח** Siloath significare Chorion, seu pellem inuoluentem foetum, quam secundam uulgo Medici uocant. Ideo uocem Siloh interpretatur filium Secundinæ seu filium uirginis, ut in prima promissione dicitur, Semen Mulieris, non uiri, conteret caput Serpentis. Quam interpretatur Esaias inquitens, Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & uocabis nomen eius Emanuel.

Ediscant autem Studiosi dulcissimos & uenustissimos Versiculos, quibus hæc appellatio Siloh, quam Iacob Christo tribuit, expressa est.

1 5 Gnate

Gnate Dei effigies æterni uiua parentis,
 Æterna uerbum mente satumq; patris:
 Indutus nostra qui carne in Virginis aluo,
 Humanum accedis, maxime Christe, genus:
 Te pius Isacides compellat numine SILOH,
 Quod teneræ es fœtus uirginis ipse tener.
 Ac uelut inuoluens fœtum membrana recentem,
 Dum rude sub matris pectore turget onus,
 Mollis & admotus non est durabilis ullos,
 Pendet & in Cotylis squalida tota nouis:
 Sic infirma fuit caro tunc tua maxime Christe,
 In cruce pro nobis cum lacerata fuit.
 Indueras etenim mirando fœdere carnem,
 Huic nostræ similem, supplicijq; ream.
 Sed prorsus fragilis nos ipsi & sordida pellis,
 Materna Chorion labe reumq; sumus.
 A tamen hoc uiuet Chorion, quando induis ipse,
 Voce tua sanans atq; cruore lauans.
 Sic autem nobis diuina hæc munera dantur,
 Cum discunt uocem, pectora nostra Dei.
 Ac coetus ideo discentum Christe tueris,
 Vt Chorion uerè sit schola casta tuum.
 Ah tua tuta precor seruetur fascia SILOH,
 Ne queat hanc ullus dilacerare furor.

V.

CVROPORTVERIT
 Chris